

nihilominus per easdem , janua prima referata , satis su-
perque hortum introspicere potui.

In nomine Dei igitur in hortum me recipiebam, in cu-
jus medio exiguum aliquem hortulum reperiebam , qui
quadrangularis erat, & ex quolibet latere sex decempe-
darum longitudinem in se complebat, qui spinis ro-
faceis circumseptus fragrantissimas rosas proferebat.
Cum vero parumper plueret, intersplendente sole , gra-
tissimum Iridem caussabat. Dum autem à hortulo isto
secessisse, & ad eum locum , vbi virginis istæ adiuuan-
dæ erant, me contulisse, ecce, loco istius muri , humile
sepimentum deprehendo , & pulcherrima virgo veste
Attalica decorata incedebat cum præstantissimo omni-
um juuene veste coccina amictus, ambo in brachiis fese-
duentes, multasque bene olentes rosas in manibus suis
tenentes. Ex illis compellando quærebam , quomodo
sepimentum transcendere potuissent ? Hic sponsus me-
us dilectissimus, respondebat illa, me adiuuit, & ex amœ-
nissimo isto horto nunc in conclave nostrum nos recipi-
mus, ut alter alteri præstet suam amicitiam. Gratulor mi-
hi, inferebam ego, quod , absque ulteriore meo labore,
desiderio vestro satisfiat. Nihilominus tamen videtis,
quantum scilicet festinauerim, atque, vobis inferuendi,
tam longinquum iter breui temporis spacio circumcur-
sitauerim. Posthac in magnam aliquam molam venie-
bam , intrinsecus lapidibus exstructam , in qua tamen
nulla arca , vel alia, ad moletrinam spectantia , reperi-
bantur , sed per murum quædam tympana in aquis na-
tantia conspiciebantur. Cumque eius rei statum explo-
rare conarer , respondebat mihi senex aliquis molitor:

I

Opus